Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1377
Quelle:
Copyright:

roque perſcriptus hunc Titulum praefert: *Wahre Beſchreibung der Catholiſchen und Apoſtoliſchen Orientaliſchen Kirchen Laurentii Normanni aus dem Lateiniſchen in das Teutſche überſetzet von Philippo Schwarz. Anno* MDCCL. Parum culta *Schwarzii* hujus, quisquis ille fuit, Verſio jam in Titulo peccat; non enim Liber, quem prae oculis habemus, *Deſcriptio* eſt Orientalis Eccleſiae, neque autorem habet *Laur. Norrmannum Stregneſium Suecum*, ſed eſt Ορθοδοξος Ομολογια της καθολικης και αποστολικης Εκκλησιας της Ανατολικης, ſeu *Orthodoxa Confeſſio catholicae atque apoſtolicae Eccleſiae Orientalis* κατηχετικως III. *Libris* jam olim compoſita a *Petro Mogila* Metropolita *Kioviensi* in uſum Eccleſiae *Ruſſicae* (των Ρωσων) mox a *CPolitanis* adoptata, et ſumtibus *Panagiotae Nicoſii* Aulae Turcicae Interpretis *Amſt.* 1662. primum edita, et quidem, ut loquitur in praevia ejus commendatione *Nectarius* Patriarcha *Hieroſolymitanus*, κατα την ημων τε και των Λατινων φωνην, graece et latine. Atque ideo nec *Norrmannum*, qui eam *Lipſ.* 1695. edidit, primum Interpretem latinum habet, ut patet etiam ex Adprobatione *Parthenii* Patriarchae *CPolitani* jam a. 1643. teſtantis, Libellum utraque lingua e *Ruſſia* ad ſe miſſum fuiſſe. Cito Patriarcharum teſtimonia ex Edit. *Wratiſlav.* hujus *Confeſſionis* gr. lat. et germ. 1751. 8. cui *C. Gottl. Hofmannus* T. D. *Witteberg.* ejus *Hiſtoriam* praefixit, in qua tamen Editionis pure graecae *Bucareſti* 1699. f. quae mihi objacet, non meminit. Ceterum Verſio germ. impreſſa, quam *J. Leonh. Friſchius* adornavit, *Schwarzianam mſ.* noſtram multis paraſangis antecedit.

DCXII.

Codex chartaceus lat. Sec. XVIII. Folior. 37. f. titulum praefert: *De Veritate Religionis Catholicae*, et eſt Deductio methodo paene ſcholaſtica, ſyllogiſtica VI. *Signorum* ſeu Argumentorum, quae militant pro dicta Veritate. Dabo illa verbis Autoris: *Primum Signum — ex naturali ipſius catholicae religionis incredibilitate et modo, quo per totum mundum fuit propagata, deſumitur. Secundum Argumentum — ex Doctrinae Catholicae Sanctitate, quae ſuos ſectatores ad perfectam virtutem deducit. Tertium Argumentum — a numero Martyrum. Quartum Argumentum — a Miraculis. Quintum Signum — conſenſus Sapientium omnium populorum et gentium ex lege Naturae viventium. Sextum Argumentum — ab identitate Signorum ſeu ſimilitudine argumentorum, quibus primitiva Eccleſia et moderna Religio Catholica probantur a Deo revelatae, et authore Deo in mundum introductae.* Ingreſſus eſt hujusmodi. *Sequuntur Argumenta et Signa, quibus ſignificatur Catholica Religio eſſe revelata et praecepta a Deo. Nota, quod iterum ſaepiusque notavi, me non aſſumere hujusmodi* R. 680